NONNULLA
DE

PSOÏTIDE PUERPERARUM ADNEXIS MORBI HISTORIIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE II. OCTOBRIS MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PALAM DEFENSURUS EST

AUCTOR
CAROL. CHRYS. NUETTEN
RHENANOBORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

J. TELKE, MED. ET CHIR. DD.
J. NADERMANN, MED. ET CHIR. DD.
FR. BOEGER, MED, ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

DOCTISSIMO, HUMANISSIMO

L. A. RICHTER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, LEGIONIS QUINTAE EQUITUM HASTATORUM MEDICO SUPREMO PLURIUMQUE SOCIETATUM LITTERARUM SODALI ET NOSTRARUM ET EXTERARUM TERRARUM.

NEC NON

PATRI OPTIMO

P. J. NUETTEN,

USQUE AD CINERES COLENDO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Cum et ego legibus facultatis morem gesturus ad summos in medicina et chirurgia honores adipiscendos libellum a me compositum typis tradere deberem, quod alias nondum fecissem certe naturae erat maxime consentaneum, ut ex ea artis parte rem tractandam eligerem, quae prae caeteris ex mea voluntate fuerat. Haec litterarum pars non alia erat, quam observatio rerum in medicina exercenda occurrentium ad quam medicus primo viam practicam sibi muniens incumbat necesse est, priusquam de vera morborum natura systemata sibi egerat.

Si ergo ex hac medicinae parte rem mihi sumsi tractandam certo non est, qui novas

leges ex me quaerat cum experientia mea ex qua sola illae prodire possunt, nimis nova et minus solida sit. Experiar tantum fideliter et ad naturam res in nostro nosocomio ducibus illustrissimis viris a me observatas, medicorum societati tradere, ut videant simne aptus, qui iis adnumerarer socius.

Quamobrem peto, quaesoque ex lectoribus benevolis hujusce de psoïtide puerperarum dissertatiunculae ne novas de arte medica exercenda in ea quaerant leges, credant contra me iis facta hujusce morbi a me observati traditurum, quibus denuo probetur natura ejus fallax et maligna, quam ne illustrissimi quidem viri plane cognoscere potuerunt. Prae ceteris autem lectorum indulgentiam advoco si minus in observationibus exercitatus rebus magnis omissis minoris momenti contra materias longius tractavi, aut si scribendi ratio re non digna videtur.

PROLEGOMENA.

Certe non permulti adsunt morbi qui a principio celerrimo et infelici decursu tantam medicis operam moverint, quantam febris puerperalis. Jam ab Hippocrate usque ad nostra tempora medici veram ejus naturam invenire studuerunt, et theoriae maxime variae, hypothesesque diversissimae ad naturam scholae in medicina dominantis, curae in hunc morbum institutae sunt suppositae. Si vero omnes sententias de natura et causa proxima febris puerperalis primo conspectu diversissimas comparamus, certe re vera consentientes invenie- mus: ita ut jure C. Whiteus contendat res dissimillimas de febre puerperali esse conscriptas nihilominus tamen unumquemque conscripsisse, quae observasset.

Longius esset finesque hujusce libelli excederet si omnes de causa proxima febris puerperalis theorias et hypotheses enumerare vellem, unaque demontrarem eas veritate consentire. Si contra omnia accurate perpendimus certe sequamur necesse est celeberrimos illos medicos, qui permagna experientia nisi, naturam hujus morbi inflammatoriam statuunt, contenduntque inflammationem et febrem comitantem non minus extensione, causisque quam natura aegrotantis hominis modificari.

Jam re ipsa satis patet in homine debilitato, loco malo, aëre depravato, aliisque infaustis rebus externis inflammationem non illam sthenicam praebere posse naturam, quam in homine robusto: quanquam negari non potest febrem puerperalem potissimum specie asthenica uti. Certe transpiratio oppressa, lochia suppressa, animi commotiones vehementiores, constitutio epidemica speciem externam morbi mutant nihilominus tamen vera ejus natura una eademque restat.

Cum tali modo inquisitionibus et studiis nostrae aetatis de inflammatoria hujus morbi omne et unumquodque dubium sit repulsum, tamen de vera hujus inflammationis sede perdiversae inter medicos sunt sententiae.

Omnes quidem eam ad abdominis partes rejiciunt, sed in eo vehementer dissentiunt quaenam pars primo et prae caeteris ab inflammatione occupata sit.

Ita:

I. Metritidem putant febrem puerperalem hi medici: Fr. Planter [1]), Fr. Hoffmann [2]), Burton [3]), Smellin [4]), Kirkland [5]), E. Johnstone [6]), Tissot [7]), Gilchrist [8]), Denham [9]), Froriep [10]), Kluge [11]).

II. Enteritidem et Epiploitidem contra: Hul-

---

1) Praxis medica. Basileae 1609. Tom. II. Cap. XIII.

2) Medicin. ration. system. Tom. IV. Sect. II.

3) New system of Midwifery. Lond. 1751.

4) Treatise on the theory and practic of Midwifery. Lond. 1767.

5) Versuch über das Kindbettfieber. A. d. Engl. von Scherff. Gotha 1778.

6) Sammlung auserles. Abhandl. z. Gebr. prakt. Aerzte. Bd. 6. S. 103.

7) Anleitung f. d. Landvolk in Abs. a. s. Gesundh. A. d. Franz. Cap. 26.

8) On the use of sec-voyages in medicine.

9) Abhandl. v. d. Fieber d. Kindbett.

10) Handbuch d. Geburtshülfe. 6te Ausg. Weimar 1818.

11) In suis praelectionibus.

me [1]), Leake [2]), de la Roche [3]), Heuter [4]), Kohlenif [5]), Medford [6]).

III. Peritonitidem statuerunt febrem puerperalem hice viri haud minoris momenti: Hunter [7]), Walter [8]), Frank [9]), Curt. Sprengel [10]), Milius [11]), Oswald [12]), Schmidt [13]), Horn [14]), Wenzel [15]), Benedict [16]), John Davies [17]).

---

1) Von dem Kindbettfieber. A. d. Engl. Leipz. 1772.

2) Prakt. Bemerk. der Krankh. d. Kindbett. und Schwangern. Leipz. 1775.

3) Untersuchung ü. d. Natur u. Behandl. d. Kindbettfiebers etc. A. d. Franz. mit Anmerk. von Selle. Berlin 1785. S. 12.

4) Hannöverisch. Magazin v. J. 1779.

5) Hannöverisch. Magazin v. J. 1779.

6) De febre puerperarum diss. inaug. med. Edinb. 1813.

7) Tode's Bibliothek. Bd. 2. S. 33.

8) De morbis peritonaei et Apoplexia. Berol. 1785.

9) Frank. Epitome de curandis hominum morbis. Mannheim. 1792. Lib. II. §. 214.

10) Handbuch der Pathologie. Th. 2. §. 631.

11) Mediz. chirur. Zeitung von Hartenkeil. 1785. Beil. z. No. 36.

12) Hufelands Journ. d. pract. Heilk. Bd. XIV. St. 2.

13) Diss. inaug. pathol. de peritonitide puerper. Viteberg. 1804.

14) Archiv f. med. Erfahrung. J. 1801, Bd. I. H. 1. p. 21 in praelectionibus pathologicis.

15) Ueber d. Krankh. d. Uterus. Mainz 1816. S. 24.

16) Beitr. f pract. Med. u. Ophthalmiatrik. Leipz. 1812.

17) Bemerk. üb. d. Kindbettfieber in v. Siebold's Journ. f. Geburtshülfe etc. Bd. V. St. 2.

Sectiones cadaverum, quas Siebold [1]) descripsit demonstrant in septem ab hoc viro inquisitis cadaveribus peritonaeum ejusque appendices inflammata fuisse, in duobus vero jamjam gangraenosum. Quamobrem si febrem puerperalem inflammationem potissimum puerperii functionibus suppressis exortam putamus certe ejus sedem in peritonaeo statuamus necesse est: idque hisce causis commoti:

1) Haec Inflammatio saepissime cum secretionibus oppressis apparet, potissimum transpiratione et lochiorum secretione inhibitis: quarum in secretionum locum vicaria veniat necesse est: tamen has vices non alia pars quam membrana serosa subire potest ita ut unicum peritonaeum nobis restet.

2) Origo, phaenomena, decursus, et exitus hujus inflammationis satis superque hanc sententiam affirmare videntur.

3) Sectione cadaverum vidimus peritonaeum inflammatum imo non raro gangraenosum; et in inflammati cavo magnam exsudati copiam. —

4) Et magna diversarum sententiarum de sede

---

1) Ad. El. von Siebold. Versuch ein. patholog. therapeut. Darstellung d. Kindbettfiebers etc. Frankf. a M. 1826. S. 52 — 60.

inflammationis affinitas et conjunctio facile mihi videtur ex eo explicari posse, quod omnes illae partes supra inter sedes hujus morbi nominatae saltem ex parte peritonaeo sunt obductae; caeterum si in sectionibus et parenchyma illarum partium inflammatum observabatur facillime ejusmodi inflammationi peritonaei prius exortae supervenire potuit.

Aetiologia psoïtidis puerperarum.

Paries inferior peritonaei exterioris ea ejus est pars, quae pelvi in cavo abdominis respondet. Ad latera quidem laxior musculis ossis ilei (Psoae et iliaco interno) inferiorique parti musculorum abdominis, levatori ani, plexui sacrali inhaeret; ex anteriore parte conjuncta est cum iliaco interno et superficie posteriore vesicae urinariae. Quae peritonaei cum musculis conjunctio praecipue magna telae cellulosae copia fit, qua hae partes sunt circumdatae [1]). Quo peritonaei cursu et conjunctione jam satis constat unius inflammationem facillime eandem alterius partis secum trahere posse; qua in re et ea peritonitidis species est fun-

1) Meckel's Anatomie. Halle u. Berlin 1820. Bd. 4. S. 650. §. 2540.

Hempel's Anatomie 5. Ausg. Th. 2. S. 78 et 82.

data, quae a Remberto Dodonaeo [1]) primo est observata, et a Petro Frank [2]) jure peritonitis muscularis nominata; simul demonstrat hic auctor permultorum annorum experientia psoae et iliaci interni inflammationem saepius ab inflammatione peritonaei originem ducere. Berends [3]): „in inflammatione, proposuit, parietis posterioris peritonaei, certe musculi post hanc parietem siti majores habent partes, quam musculi anteriores in peritonitide antica. Cum vero peritonaeum hoc loco psoam, musculos dorsales et lumbales obducat, saepius hic morbus veram psoïtidis speciem assumit; qui tamen et alias ad rationem inflammationis musculorum dorsalium et lumbalium se gerit, saepissime tamen peritonitidem psoïticam observavimus.“ Henricus Henrici narrat in Halleri dissert. pract. Vol. III. §. 16: „Puerperae corpus sectum ostendit musculos abdominis sphacelatos, peritonaeum omentumque cum musculis adjacentibus lumborum putridos. Abscessus latissimus juxta umbilicum de-

1) Curt Sprengel pragmat. Geschichte der Medizin Bd. 3. S. 117.

2) L. c. lib. II. §. 214 et 216.

3) D. C. A. W. Bereads Vorlesungen über prakt. Arzneiwissenschaft herausgegeb. v. Carl Sundelin. Bd. 3. S. 239 et 240.

scendendo viam sibi aperuerat, intra peritonaeum et carnem recti intestini, post supra obturatorem internum per musculos in femore sitos ad genu usque, ubi detracta cute exiguum per foramen in fascia lata exesum ingentem veri puris copiam eructabat."

Praeterea Siebold [1]) et van de Haar [2]) observationes demonstrant: psoïtidem complicatam non raro cum inflammatione et suppuratione affinium partium conjunctam esse.

Et Rosenbergius notat psoïtidis complicationem cum inflammatione et suppuratione peritonaei in puerperio haud raro occurrere [3]).

In instituto obstetricio quod Wurceburgi floret, duas vidit Schlossius puerperas peritonitide puerperali complicata cum psoïtide laborantes quorum tamen morborum decursum non descripsit [4]).

Morborum historias duas quam maxime explanatas Willertus de psoïtide duarum puerperarum conscripsit; in utroque casu suppuratio morbo supervenit, in altero mortua est aegrota [5]).

---

1) Chirurg. Tagebuch S. 19.

2) Sammlung f. prakt. Aerzte Bd. 2. St. 2. S. 16.

3) Otto Christian Rosenberg Specim. inaug de psoïtide Halae 1796. in der med. chir. Zeitung von Joh. Jac. Hartenkeil. 1801. Bd. 2. S. 210.

4) Schloſs diss. inaug. de peritonitid. puerper. p. 18.

5) Diss. inaug. de psoitide p. 20 — 28.

Quod attinet ad causas remotas hujusce peritonitidis, ut ita dicam partialis, quae postea psoïtidis speciem assumit, omnino ad causas peritonitidis puerperarum communes sunt reducendae.

Accurata quidem earum denominatio, quae processum ad psoïtidem adducant, certe difficillima esset, cum observationes de hac re ad nostrum usque tempus perpaucae et minime omnibus numeris sint absolutae. At certe non est qui neget, magnum musculorum laborem in difficilibus partubus, inopportunum foetus situm, praecipue obliquum et transversalem, nisum capitis infantis in ossa ilei, contusiones, aliasque laesiones per operationes obstetricias illatas, haud parvi momenti in exoriendo hoc morbo esse.

Symptomatologia et decursus morbi.

Maxima ex parte psoïtis puerperarum decursum acutum sumit, et initio quidem haud facile a peritonitide partiali differre potest, praecipue si specie mitiori utitur inflammationisque phaenomena minus sunt manifesta. Contra si inflammatio cum vehementia quadam mulierem aggreditur exoritnr febris atrocior cum omnibus irritationis inflammatoriae signis. Pulsus digito tentanti durus, tensus, plenus et freqnentissimus apparet; totius corporis

calor est adauctns eamque ob causam cutis arida et calidissima, urina rubra, saturata, sitis permagna, tantum autem abest ut edendi appetitus adsit ut non raro vomituritiones verusque vomitus intret. Aegrota conqueritur de vehementissimis doloribus inflammatoriis in regione lumbari qui ad humerum saepe procedunt, imo et vesicam urinariam, totum femur et pedem corripiunt. Glandulae inguinales lateris morbosi intumescunt; tamen rarissime disquisitione ceterarum partium cognosces musculum inflammatione intumefactum. Dolores increscunt quoties aegrota femur, vel attollere vel porrigere, vel extrorsum flectere conatur, nec non si corpus erigitur. Aegrota solummodo supina cubare potest, femoribus abdomen versum paululum attractis, quippe qua in positione musculus psoas nil movet. Simul lochiorum secretio aut omnino suppressa aut vehementer comminuta est; urinae excretio incolumis restare videtur, nisi illa peritonaei parte simul inflammatione affecta qua vesica circumdatur, aut nisi suppuratione exorta pus vi mechanica urinae iter obstipatum reddit.

Saepissime in puerperis dissipatur psoïtis praecipue jam initio cognita neque ad majorem vehementiam perducta. Tamen creberrimus est exitus ad suppurationem cum phaenomenis febrem exul-

cerativam semper comitantibus. Conformatur abscessus, qui iter per diversas partes sumere potest, quarum usitatissimae hae fere esse videntur:

1) per alterutrum columnae vertebralis latus

2) per regionem inguinalem sub annulo abdominis.

3) per partes ani laterales ad superficiem glutaeorum.

4) ad femoris internum latus inter regionem trochanteris minoris et genu.

5) per vaginam.

6) Ad capsulam articularem.

7) Haud raro et in cavum abdominis aut thoracis penetrat.

Morbi historiae.

I. Ludovica K. fabri lignarii uxor jam septem et viginti annos nata corporis haud validissimi ante sex hebdomadas leviter et sine periculo enixa erat. Puerperium ei primo quidem optimi ominis esse videbatur cum quatuordecim diebus ante quam est recepta ut quidem putabat transpiratione oppressa tormina atrocissima internam et posteriorem femoris partem occuparent, quaeque non multo post totam inferiorem extremitatem dextram corripuerunt. Una et febris vehementissima eam occupa-

vit; quibus commota medicum advocavit, qui morbum ad rationem rheumatici curans ei non magno levamini erat: increverunt contra dolores ita ut ischuria exorta aegrota die VIII M. Februarii a. c. nosocomium adiret. Et hoc loco praecipue de atrocissimis doloribus posterioris partis femoris dextri conquesta est; qui dolores nervum ischiadicum fere comitantes ad pedem usque procedebant, interna femoris pars non eodem modo dolere videbatur. Attactu dolores minus augebantur, contra et femoris flexio et rotatio ejusdem et nisus corporis in pede eam vehementer affecerunt, cum has actiones nonnisi pronato corpore perficere posset. Regio inguinalis dextra pressu dolorosa videbatur, glandulaeque inguinales intumefactae, vesica urinaria urina accumulata supra marginem ossium pubis prominebat, manu applicata studium urinae ejiciendae movebatur, cui tamen satisfacere non potuit. Vagina et collum uteri inquisitioni nil novi praebuerunt. Abdomen nec tumidum nec dolore affectum erat. Laborabat aegrota febri satis manifesta, pulsu frequenti non magno, pleno molli et minime tenso; consueta cutis temperatura modice adaucta erat, subhumida et omnino non arida, ita ut noctu fortiter transpiraret; simul aegrota languorem, lassitudinem, capitis dolores

conquerens, nec edendi appetitum nec sitim demonstrabat, lingua integumento modice albo erat induta tamen humida alvus rara et jam per aliquot dies oppressa, eodem modo jam per plures dies deerat urinae excretio, quamobrem manifeste vesicam urinariam supra marginem ossium pubis prominentem magna urinae copia impletam sine ullo aegrotae dolore sentire potuimus. Cum hac re permoti Catheterem applicaremus impedimentum animadvertimus et in inducendo hoc instrumento et in reducendo tali modo ut urethra spasmo constricta videretur; urina educta, turbida, et colore fusco erat omnino quidem ejus non parva adfuit copia. Quae cum morbi phaenomena ischiadis rheumaticae speciem praeberent, praescribebantur balnea communia, et ad usum internum haecce:

Olei Ricini ℥I
Gi mimos ʒVI
Aq. commun. ℥IV
Camphor.
Sulph. aurat. aa gr. VI
Syr. Althae ℥I.

M. D. S. Omni hora cochlear majus.

Sub sextam vesperis horam frigus levius accessit aegrotam, calor sudorisque non permagna copia secuta sunt; quamquam haec febricula jam nonnullis horis post evanuit, tamen somnus brevis et turbidus aegrotam cepit, ita ut postero die status morbosus non multo esset commutatus. Omnia phaenomena eadem erant, et non erat causa medicamenta nova praescribendi, conveniebant enim aegrotae, cutis actionem adauxerant et alvum apertam reddiderant. In urina contra emittenda saepius per diem catheterem adhibere debebamus, ipsaque ejus qualitas non erat alienata Qui morbi status per plures dies idem erat; saepius quotidie febricnla incessit aegram, qua tamen nil magni adductum est; oedema incipiens dextrae pedis manifestius apparuit, ususque femoris continuis doloribus erat inhibitus.

Die XIV. ej. m. febri majoris momenti laborabat mulier, pulsu frequentiore, majore et pleniore patefacta; dolor in regione Ligamenti Fallopii dextri increvit, pressum pati non potuit; omnino non potuimus quin affectionem inflammatoriam agnosceremus, in quo tamen hoc memoratu dignissimum invenimus: in exploranda vagina tumor apparuit, mediam partem dextrae parietis tenens, qui tensus, dolorosus, jamjam fluctuare vide-

batur. Hujus symptomatis jure maximam rationem habuimus, cum solum veram hujus morbi naturam patefaceret, erat enim hic tumor nostra quidem sententia abscessus musculi psoae, quo omnia phaenomena a nobis observata satis superque erant declarata: dolores in flectendo dextro femore, iidemque in posterioribus et interioribus hujus extremitatis partibus, febriculae saepius intrantes, urinae excretio inhibita, oedema pedis, omnia a morbo psoadico originem ducere videbantur. Febris doloresque adaucti inflammatoriam morbi adhuc naturam demontsrabant quamobrem die XV. ej. m. haecce medicamenta praescribebantur.

Decoct. Althaeae ℥vj.
Nitri pur. ʒji
Natri sulph. ℥j
Sol. Liquir. ℥ß.

M. D. S. Bihorio cochlear majus.

Balnea communia retinebamus simulque injectiones infus. fl. Chamomill. in vaginam instituimus. Sed nonnullis diebus post mixturam illam omisimus cum phaenomena ad inflammationem spectantia evanescerent ita ut tantum externorum remediorum usum continuaremus. Erant hoc tempore dolores prementes, pulsantes, oedema pedis

majorem jam pedis partem ceperat, nihilominus tamen febricula interdum aegrotam accessit. Quod non mirum aegrota jam macie erat peremta, facie arida cum vires et morbo et medicaminibus hoc requisitis vehementer debilitarentur.

Repente die XXI. huj. m. cum jam quatuordecim dies in nosocomio esset in ipso balneo abscessus est apertus, magnaque puris boni flavescentis, majorisque consistentiae copia emanabat. Quod permagnam omnium symptomatum remissionem adduxit: febris minorem praebuit vehementiam dolores imminuti jam femoris motionem permittebant, oedema pedis magis magisque evanuit, imo et urinae missionem sine ulla difficultate perfecit aegrota. Inquisitio accuratissima aperturam tamen nullam ostendit, qua pus emanabat. In usu balneorum perstitimus, injectionesque infus. fl. Chamomill. adhibuimus, ne puris emanatio impediretur, quae res bene successit, pus enim leviter egestum est nec nimis copiosum apparuit.

Cum jam roborante methodo uti deberemus, praebuimus aegrotae haecce.

Decoct. Althaeae. ℥vj
Mixt. sulph. acid. ʒji
Sacchar alb. ℥ji.

M. D. S. Bihorio cochlear majus.

Balnea eadem ex causa omisimus, cum nimis fortes sudores moverent, mulieremque debilitarent, contra morbus ipse talem se praebuit ut felicem successum sperare possemus; doloribus fere jam finis erat impositus, femoris usus jam facilior erat, oedematisque pedis unumquodque vestigium evanuerat, pulsus quidem subfrequens, tamen modice magnus et plenus ita ut ne vespere quidem exacerbationem animadverteres. Cum aegrotae edendi appetitus rediret, cibi roborantes et magis nutrientes proponebantur, simulque medicamina fortiora eligebantur; accepit:

Infus. Chinae (ʒIIj.) ℥VI.
Mixt. sulph. acid. ʒI.
M. D. S. Bihorio cochlear majus.

Quae medicamina mulieri optime conveniebant, quorum usus continuatus cum cibis roborantibus vires reduxerunt ita ut jam lectum relinquere pedibusque uti conaretur, quod vere minus successit.

Suppuratio mox desiit, evanescentibus omnibus mali ominis phaenomenis; locus ille, quem antea tumor occupaverat tensior, duriusculus, et laevis inquirenti videbatur. Quamobrem omnia remedia pharmaceutica omittebantur, viresque cura diaetetica levabantur, quod optime successit: redierunt sensim sensimque vires, habitus mox melior, fa-

ciei color alacrior cumque optime pedibus uti posset, nonnullis hebdomadibus post sanata nosodochium reliquit.

II. Henrica T. famula corporis validi habitusque, ut videbatur boni hebdomadibus tribus ante nulla arte admota onere erat liberata; postea bene valuit, cum repente diebus octo antequam in nosocomium est recepta femoris dextri superior pars vehementer dolere inciperet, qui dolores eam impedierunt, quo minus incederet eamque mox eo peregerunt ut ex nosodochii caritatis medicis auxilium quaereret.

In dextro femore receptae nil magni momenti reperimus, erant quidem glandulae hujus lateris inguinales aliquantulum intumefactae et dolore affectae; majores tamen dolores atque magis ad profundum prodeuntes ut quidem aegrota dixit, Ligamenti Fallopii occupaverant regionem, qui pressu haud vehementer augebantur. Cetera abdominis pars plane non dolorosa.

Corporis deorsum declinatio, morbosi femoris flexio, ejusque extrorsum versio non sine maximis doloribus ab aegrota potuerunt perfici; simul propter dolorum incrementum nec incedere nec pedibus niti potuit. Urinae excretio minime turbata, contra alvus rarissima; caeterum pulsus irri-

tationem febrilem bene agnovimus, erat enim frequens, tensus, modice magnus et plenus; cutem calor non nimis vehemens ceperat, quem tamen aridum vocare non potuimus; lingua modico integumento obducta et humida; deerat cibi appetitus et capitis dolores conquesta est aegrota.

Quae cum ita se haberent, neque psoae inflammatae symptomata deessent hirudines medicinales triginta perinaeo apponebantur, et sanguinis profusio balneo tepido servabatur; ad usum internum accepit aegrota:

Emuls. commun. ℥vi.
Nitri depur. ʒji.
Aq. laurocer.
Magnes. sulph.
Solut. Liquir. $\overline{aa}$ ℥ß.
M. D. S. Omni hora cochlear majus.

Postridie et hirudinibus et balneo aegrota haud mediocriter erat levata, magna sudoris copia dolores minuerat tamen vespere hora septima frigus aegrotam cepit fortius, quod mox calor secutus qui per plures horas durans dolores non valde auxit. Postridie mane aegrotae nonnullis somni horis restauratae setaceum ex spina superiore anteriore cristae ossis ilei ad tuberculum ossis pubis applicabatur ut sanguinis accessus nimis violentus a

partibus jam inflammatis ad externam corporis superficiem derivaretur.

Hora matutina sexta quarti diei febricula denuo eam accessit, quae tamen celeriter evanuit. sed hora decima jàm rediit, quanquam breviore intervallo decedens; caetera diei pars optima, bene dormitabat aegrota nec febre nec doloribus anctis. Febricula insequentis diei cum vomituritionibus erat conjuncta, quae cum mox evanescerent omnia remedia interna omittebantur, ita ut nil nisi suppurationem, Setaceo excitatam curaremus.

Per plures dies melior quidem status non est adductus, quanquam in deterius nil mutato; dolores quotidie minuebantur, ita ut jam femoris motus non tantis cum torminibus esset conjunctus; nisus et incessus pede aegro minus successerunt, qua in re locus suppurativus haud minimas obtinere videbatur partes.

Quamvis nil adesset, quod accusaremus, ne refrigeratio quidem,repente tormina totam inferiorem extremitatem dextri lateris ceperunt, quae ex posteriore femoris parte ad pedem usque prodeuntes nil ad totam corporis conditionem pertinere videbantur ita ut medicamina iis non opponeremus.

Postquam nonnullos per dies his doloribus valde vexata fuit aegrota, sensim sensimque se subduxere sensui ita ut bene se haberet aegrota et verus morbus periculosa phaenomena plane non praeberet, Non multo post respirationis organa molestiis inflammatoriis laboraverunt, quibus febris erat adjuncta, quae autem cura accuratiore admota mox aufugerunt. Setaceum prius applicatum suppuratione excitata psoïtidem certe optime curaverat. Etenim si febriculas supra nominatas bene aestumamus, jam psoas suppuratione erat occupatus, nune vero motu quidem adhuc gravato tamen dolores tali modo erant minuti ut omnem curam medicinalem ommittere, setaceique vulnus sanando claudere possemus. Caeteram morbi partem naturae tribuentes, huic negotio cibis roborantibus auxilio venimus.

Cum repente scabies aegrotae cutem occuparet

ad locum huic morbo curando aptum misimus, unde celeriter sanata rediit. Status ejus omnino non erat mutatus; questa est de motione femoris nimis difficili usuque hujus partis impedito.

Mox vero longe alium praebuit aspectum morbus: artum enim quo femur cum trunco conjungitur, vehementissimi dolores ceperunt, qui motu extremitatis et pressu augebantur, cnm haec pars tumorem ostenderet, sanguinis detractio quam necessaria erat, cui balneum tepidum adjunximus, ita ut per duos dies balnea calida, quae Douche vocantur, tertio die autem hirudines quindecim adhiberentur.

Hac cura per plures hebdomades usi sumus tamen aegrotae non magno erat levamini, cum tantum per nonnullas horas dolores minuerentur. Simul vires debilitabantur aegrota vehementer macescuit, vomitu exorto quem ne moxa quidem regioni epigastricae imposita ad finem perducere potuimus. Morbosus femoris artus eodem modo ut jam antea est dictum curabatur, quanquam sine bono successu.

Si ergo originem, symptomatologiam et decursum hujus morbi bene observamus, constat certe nos primo psoïtidem ad suppurationem jam processam curasse, cui inter omnia remedia optimum setaceum opponebatur; nihilominus tamen inflammationem lentescentem non omnino finire potuimus, ita ut verisimillime pus jam conformatum ad acetabulum viam sibi muniret, ibique inflammationis symptomata excitaret, in quam validissima remedia vana esse videbantur.

VITAE CURRICULUM.

Ego CAROLUS CHRYSANTHUS NUETTEN *anno MDCCCVIII. die VIII. m. Jauuarii. Aquisgrani natus patre Josepho, matre Rosalia, e gente Reger, confessioni catholicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus per biennium Gymnasium, quod Aquisgrani floret, frequentavi. anno MDCCCXXVII. instituti medico-chirurgici Friderici-Guilelmi civium numero adscriptus virorum illustrissimorum et celeberrimorum et praelectionibus et exercitationibus clinicis per quadriennium interfui.*

Ill. Wolff de hodogetice, logice, et psychologia; Ill. Link de historia naturali, botanice; Cel. Schulz de botanice et materia medica; Ill. Turte de chemia pharmacia, et physice; Ill. Hermbstaedt de pharmacia et chemia; Ill. Rudolphi de anatomia corporis humani, de anatomia foetus humani, et organorum sensuum, de entozoïs, de physiologia, nec non de medicinae methodologia et encyclopaedia; Beat. Knape de

osteologia, splanchnologia et syndesmologia; in cadavera dissecandi arte Ill. Rudolphi et Beat. Knape me imbuerunt; Ill. Horn de pathologia speciali, et de syphiliticis, vesaniisque morbis; Cel. Casper de arte formulas medicas concinnandi, et de medicina forensi; Ill. Osann de materia medica; Ill. Fr. Hufeland de pathologia generali, semiotice, therapia et generali et speciali; Ill. Kluge de fascias imponendi arte, de ossium fracturis, et luxationibus, de chirurgia generali, et arte obstetricia, nec non de akiurgia; Ill. Rust de chirurgia universali; Cel. Jüngken de oculorum morbis. Exercitationibus clinicis medicis interfui Ill. Wolff, Bartels et Perillustr. W. Hufeland; chirurgicis Ill. Rust et Generosiss. de Graefe; ophthalmiatricis Cel. Juengken.

Studiis peractis unum per annnm medico chirurgi inferioris munere in nosocomio Caritatis Berolinensi functus sum.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico nec non examine rigoroso absolutis spero fore ut dissertatione thesibusque palam defensis summi in Medicina et Chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Summum ac supremum de morbis sanandis indicium nonnisi ab experientia peti potest.

II.

Saepe mentis morbi oriuntur animo vita deterrima commoto.

III.

Febris hectica amputationem non vetat.

IV.

Calor animalis non ex uno solum fonte originem trahit.

V.

Febris puerperalis nil aliud nisi peritonitis.